Ann. II
Fasc. 1
m. Martio
a. 1939

LYGIA

Rok II
Nr 1
Marzec
1939 r.

COMMENTARII SOCIETATIS LINGVAE LATINAE

Usui Internationali Adaptandae

CZASOPISMO TOW. UMIĘDZYNARODOWIENIA ŁACINY

Ut quondam validis Ursi servata lacertis
Coniunxit nostram cum Latio patriam,
Nunc grates solvens adscitae coniugis urbi
Romanam linguam nuncupat illa globo.

Krwawej śmierci wydarta dzięki Ursusowi
Sprzęgła z Rzymem kraj Lecha węzły serdecznymi;
Teraz niosąc dar wdzięczny małżonka grodowi,
Sławny język Latynów głosi wszystkiej ziemi.

Pretium
Cena **50** gr.

Do nabycia we wszystkich księgarniach Gebethnera i Wolffa i u Wł. Michalaka (d. Książnica Atlas) w Warszawie

VARSOVIAE — MCMXXXIX

178



Jndex rerum

Spis rzeczy

DE LINGUA LATINA, COMMUNI CULTUS EUROPAEI PARENTE

Prof. Dr. Thaddaeus Zieliński, Societatis Nostrae Ill. Praeses, primam paginam secundi numeri „Lygiae“ adhortatione, quam anno MCMXXXIII ad historicos totius mundi, Conventus Varsoviensis participes, ediderat, adornare nobis comiter concessit.

Si recte de opera vestra iudicamus, Viri Doctissimi, cum vos tendentiis centrifugis orbem, ni refrenentur, dilaceraturis firmam opponere censemus voluntatem centripetalem ad unificandas sub scientiae signo nationes tendentem, fas est sperare ne nostra quidem vos conamina aspernaturos esse, quorum ea est ratio, ut unificandis lingua quoque mutuo commercio adaptata detur — vel potius reddatur. Scimus sane haud paucos fore, qui in hoc ipso reddendi consilio haereant, cum sibi persuaderi passi sint non posse, ut vulgo dicitur, flumina retro fluere; sed hoc quoque scimus, esse tamen aliquam differentiam inter naturam inanimem et naturam animatam rationique obtemperantem, eam videlicet, ut illa flumina aquatica necessario eo fluere debeant, quo ea gravitationis lex agat, cum haec flumina humana libertatem sibi reservaverint, sicubi in putidas paludes vel in inertes arenas devenerint, contrario meatu ad loca salubriora et feliciora fluendi. Neque hanc cursûs correctionem pro „reactione“ habemus, ut hoc odioso vocabulo utamur, sed pro necessaria veri fructuosique progressûs condicione.

Hoc igitur sensu animati nuper in urbe nostra societatem condidimus eo spectantem, ut aliquando tollatur illa cultûs Europaei labes, quam olim communem suam parentem, linguam scilicet Latinam relinquendo contraxit; quod populum nostrum ceteris vel propterea debere putavimus, quod cum paucis diutissime huius linguae usum in commercio cottidiano conservavit nec nisi sero et cunctanter aliorum exemplum non bonum est secutus. Nec tamen eo fiduciae vel potius vanitatis progressi sumus, ut hoc tantum opus propriis viribus efficere nos posse putaremus: immo plurimos esse extra Rei Publicae nostrae fines, qui idem sentiant et opibus vel maioribus ad propositum exsequendum accedere possint, et videmus et videntes gaudemus. Quorum crescente et numero et potentia faventibus eis, quibus curae est generis humani constans et fructifera evolutio, tandem eventurum esse speramus, ut Europaei cultûs populi post longas et aerumnosas ambages, quasi totidem filii prodigi, derelictae parentis limina repetant.

Non est huius loci commoda recensere, quae ex hoc felici reditu in cultum nostrum redundare possint, aut obiectiones refellere, quibus homines malevoli vel timidi nisûs nostros debilitare conantur; id solum agimus, ut oculos animosque vestros in rem ipsam, quae nobis proposita est, convertamus. Quae si vobis assensione vestra et favore non indigna videbitur, ipsi dispicietis, quomodo eam in sua quisque vestrum patria et commendando et opem ferendo adiuvare possitis.

3792

LEO ZAWADOWSKI

PIUS XI PONTIFEX MAXIMUS

Vir sanctissimus, ingenii maximi, animi fortis, gentis nostrae amicissimus, episcopus noster Pontifexque Maximus a nobis discessit. Qua re non ita tristes sumus, ut sortem eius dolendam putemus, nam si aliqui mortis dies, hic certo natalis appellari debet, sed — quod humanum est, — ut molestum nobis sit Patre Sanctissimo Pio carere. Requievit a multo labore infatigabilis pastor, qui per tempora periculorum plena populum sibi creditum traduxit: longa caede a humanitate cultuque abalienati iacebant populi Europae, cum Achilles Ratti, canonicus Vaticanus, Bibliothecae Vaticanae praefectus, vir maximi ingenii omnique eruditione imbutus, qui multos annos in studiis consumpserat, divina Providentia impellente, a Benedicto Papa in Poloniam missus est. Hic intellegi potuit non modo doctissimum eum esse virum atque laboris amantem, qui praeter Poloniam regiones adiacentes amplexus, ab Aestiorum ora usque ad Pontum Euxinum res Ecclesiae gerebat, sed etiam fortem magnique animi. Nam cum Leninianorum catervae furore inferno actae totamque Europam, ni prohiberentur, occupaturae, Varsoviae appropinquarent ita, ut omnes fere exterarum gentium legati eam reliquissent, ille non modo in urbe mansit, sed etiam Pontificem Summum, ut ei etiamsi urbs capta esset, manere liceret, rogat; mox iam Pontifex Maximus ipse futurus,, extremum orbis Christiani vallum protegit, pro urbis salute orat, sperare iubet, dum in suburbiis iam Varsoviae proelium saevit ultimaque iuvenum puerorumque praesidia in aciem properant.

Mox Pontifex Maximus creatus non minore studio res totius Ecclesiae regit augetque. Nam quod ad res civiles attinet, ut pactio de Civitate Vaticana cum Italiae Regimine fieret, effecit, rem maximi momenti, quaque lamentabilis discordia sublata est. Sed et internam Ecclesiae constitutionem condicionemque omnium Christianorum curabat atque huic rei studuit, ut ecclesiae orientales a discissione sua ad Ecclesiam catholicam revenirent; hac de causa catholicorum studia orientalia maxime fovit. Pacem voluit in omni orbe terrarum esse, quam ut faceret, quasi propositum vitae eius erat, hac tamen condicione, ne quid detrimenti doctrina Christiana patiatur. Itaque non modo contra Leninianum Marxianum furorem acerrime pugnavit, sed ubicumque in civitatibus Christianis falsae doctrinae oriebantur, statim Ecclesiae sententiam opponebat, „arguebat, obsecrabat, increpabat, in omni patientia et doctrina". Sciebat tamen in hoc tanto temporum opinionumque discrimine nihil agi posse, nisi sacerdotes omnesque Christiani veri propugnatores fidei suae et hic et inter gentiles sint; itaque omnibus modis ea, quae ad Ecclesiae catholicae opera a fidelibus cognoscenda atque fidem propagandam pertinerent, summo studio infatigabilis fovit. Qui labor immensus a sene Pontifice susceptus mox fructum tulit: creverunt opera sacerdotum, episcopis via ac ratione rem gerentibus, profani nunc demum catholicos se esse Christianos senserunt, rerum Ecclesiae scientia florere coepit, nova vita Ecclesiae infusa est; in annos crescebat Summi Pontificis auctoritas toto orbe terrarum ita, ut renatam nunc vitam catholicam hoc medio XX tam misere incepto saeculo

celebrare liceat. Nimirum non modo apud catholicos, sed et aliis confessionibus additis valuit; nam etiam qui non catholici essent, ingenium tamen maximum, laborem infatigabilem, fidem intrepidam, vitam sanctissimam non aestimare non potuerunt.

Fuit enim ille pastor verus, qui pura claraque mente vixit ab omnibus temporalibus rationibus aliena, aeterna intellegens, Dei consiliis intentus, nihil curans, nisi ut navem mysticam salvam per scopulos gubernaret, nihil timens, omnes labores animo sanctissimo suscipiens, quibus Ecclesiam augeret.

Nobis autem, Polonis, singulari modo carus fuit Sanctissimus Pater; nam et gentem nostram singulariter adamavit, et a nobis initium Ecclesiae regendae sumpsit; nostras res primas gessit, nostram Urbem primam defendit, hic episcopus consecratus est, Polonum episcopum se dixit atque a nobis primum summa caritate dilectus est, nescientibus Pontificem Maximum eum esse.

„Bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit; in reliquo reposita est ei corona iustitiae, quam reddet ei Dominus in illa die, iustus iudex".

SPICILEGIUM ANGLICUM

In prima pagina manuscripti Northumberlandensis opuscula minora Baconis et Shakespearii continentis sequentia memorabilia manu eiusdem aetatis annotata legimus:

Multis annis nunc transactis
Nulla fides est in pactis:
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Ultima quae in rebus gestis nostri mundi acciderunt, hunc versiculum hodie quoque ratum faciunt.

In eadem pagina longissimum verbum Latinitatis scriptum invenimus:

honorificabilitudine

In Shakespearii comoedia Amoris Labor Perditus idem verbum etiam longius extenditur:

honorificabilitudinitatibus

Inventum Alberti fuisse traditur.

In cubiculo popinae sub „Vetere Diabolo" leges conviviales a poëta Ben. Ionsonio exempla antiqua sequenti compositae supra focum incisae legebantur. En quaedam specimina:

Nemo asymbolus, nisi umbra, huc venito.
Convivae nec muti nec loquaces sunto.
De seriis ac sacris poti et saturi ne disserunto.
Ioci sine felle sunto.
Insipida poëmata nulla recitantor.
Lapitharum more scyphis pugnare, vitrea collidere,
fenestras excutere, suppellectilem dilacerare nefas esto.

Elizabethanus.

RODOLPHUS NOWOWIEJSKI

LAUDES PATRIAE POLONIAE

FORTE ROGAS, QUID SIGNIFICENT SACRA VERBA: „RENATAE
DULCIS AMOR PATRIAE?“ TELLURIS ET ORA PATERNAE?
NONNE OMNI PATRIA EST HOMINI BONA CEU VALITUDO?
QUANTI CENSENDA EST, AMISSA AGNOSCITUR ULTRO.
ME SPECIES CANDORQUE TUUS TRAHIT, O PATRIA ALMA,
PLANGO, FLAGRANS TIBI CUM DESIDERIO ACCINERE AUSIM:
NONNE DOMUS PATRIA EST, QUA FRATRES VIVERE IN UNUM
FAS FORET: ALTER AMAT VICINUM ALTERQUE PROPINQUUM,
LITE VACANT AURES INSANAQUE PROTINUS ABSUNT
IURGIA, ACERBA NEFAS LINGUAE CONTENTIO HABETUR?
FONS NON DEFICIENS PATRIA EST ARGENTEUS UNQUAM,
FONS SACER ATQUE UNDANS, LATICIS QUO MURMURE SUAVI
VENA PERENNIS AQUAE SCATET ET QUEM NULLA VOLUCRIS
NEC FERA TURBARET NEC LAPSUS AB ARBORE RAMUS.
QUISQUE POTEST PLACIDUS TEMPESTATE INCOLA ATROCI
DULCIS AQUAE SALIENTE SITIM RESTINGUERE RIVO. —
SILVAQUE IUCUNDA EST PATRIA, HAUD VIOLATA SECURI,
AETERNUM INTONSAE FRONDIS, QUAE PERVIA NULLIS
SOLIBUS: HAUD ILLAM BRUMAE MINUERE NOTUSVE
IUS HABET AUT GELIDUS BOREAS, SILENTIA SERVAT
SUPTER OPACA QUIES, QUA HOMINES SUNT PACE BEATI. —
EST PATRIA ET NAVIS TUMIDIS AGITATA PROCELLIS;
SEMPER NAUTARUM SUDANTIBUS ACTA LACERTIS,
QUAE SAEVOS PATITUR FLUCTUS, SED AD OSTIA TENDIT.
LECHICA LECTA MANUS, VALIDIS INCUMBERE REMIS
PERPETUO STUDEAS, NE DEVORET UNDA CARINAM! —
O UTINAM REPARATA QUEAT REPARARE RENATOS
TELLUS INDIGETES, UT CUNCTI PACE FRUANTUR!
O UTINAM FECUNDET AGROS PAX ALMA POLONOS!
AUGUROR EVENIAT: TER RAMO MITIS OLIVAE
TER NIVEIS PENNIS AQUILA ALBIDA PERVOLET ORBEM!
ATTINGHAUSEN AIT SCHILLERI DRAMATE „TELLO“:
„ADIUNCTUS PATRIAE SIS CARAE, PECTORE TOTO
ILLAM CONTINEAS CONSTANTER AMESQUE PER AEVUM!

VILNAE,

LEO ZAWADOWSKI

A, B, KE...

[. . . . . .] inclusa sunt verba ratione perscripta ad notandum enuntiandi modum.

In Alma Roma (1938, pag. 14) legimus: „Non minore vi profecto arma in Sinenses perferuntur a Iaponiis, qui obsidione cinctam N a n c-c h i n o urbem caput brevi expugnant, coguntque administros ut fuga se Hankau recipiant" Formam obscuram Nancchino (an casus accusativus?) missam facio, modo scripturae animum intendo; nam et Polonice scribimus Nankin et ceterarum linguarum Europaearum scripturae sonum K in hoc nomine significant. Qui est valor Latinus litterarum CH? nonne C [k] aspiratum? Qui igitur Nancchinum scripsit, [nankkhinum] significare voluit; alio loco (1938, pag. 86) lego Nanchinum i e. [nankhinum]. Quid? Unde „ch" [kh] illud in huius urbis nomine?

Nil miraris, si Pecchinum invenis (1938, pag. 14), sed mox gaudebis, cum Pekinum leges (1938, pag. 86), nam eodem modo Poloni scribimus Pekin, sonum K significantes; sed nisi per nostram linguam persuasum haberem his nominibus sonum K inesse, ex libro Latino parum doctus evenirem, cum sonus unus tribus modis: cch, ch, k [kkh, kh, k] significaretur.

Est civitas, quae Bohemorum lingua Ceskoslovensko vocatur; perscribunt nomen Germani satis recte Tschechoslowakei, Tchécoslovaquie Galli, quo pacto autem L a t i n e Cecoslovachia (pag. 86, 122) scribi licet [i. e. kekoslovakhia]?

An quia Itali in lingua sua littera „c" sonum [TSH] significant? Num Latine idem licet? — Urbium nomina haec ibidem invenis: Sciangai (pag. 14) [skiangai], Sciansi (pagg. 51, 61) [skiansi], Shantung (pag. 86) [Shantung]; at constat sonum primum trium nominum unum eundemque esse scil. [sh], nullo pacto [sk]. Scribunt igitur Itali Italica scriptura verba exterarum linguarum in libro Latino; quid, si ceterae gentes ita faciant? Si Anglus Shanghai, Germanus Schanghai, Polonus Szanghaj vel Szanchaj in libris Latinis scribat? Etiam pauca exempla afferam: Stojadinovich [Stojadinovikh] (pag. 14), Chang-Ku-Feng [khankufen] (pag. 140), Ceka (in Russia) [keka] (pag. 15); in his exemplis significandus est sonus [tsh] (Angl. ch, Hisp. ch. Hung cs, Polon. cz) rectaque enuntiatio haec est: [stojadinovitsh, tshankufen, tsheka]; Sonum [dzh] (Angl. j, Gall. dj, Polon. dż) littera „c" vel „dch" significari vides: Manciukuo (pag. 14), Mandchouria (pag. 140).

Non licet mea sententia cuiquam, dum Latine scribit, sui patrii sermonis scriptura uti, nam neque linguae Latinae auctoritas et religio hoc patitur et quae voces significentur cognosci nequit; linguam Latinam omnium gentium esse profitemur, neque fieri potest, ut per linguarum recentiorum scientiam ad intelligendum librum Latinum perveniamus; nam nisi nomen Iugoslavicum Stojadinović esse scirem, aut nisi scripturam enuntiationemque Italicam novissem, ex scriptura „Latina" illa ni-

hil intellegere possem. Quid, si idem scriptura Hispanica, Hungarica, Suebica in libris Latinis scriptum legissem? Miserabile haec tristeque spectaculum, si recordaris per linguam Latinam omnium olim linguarum scientiam et studium auctum et posteritati propagatum esse. — Quid igitur? Uniformi scriptura nobis opus est. Sed normam eius unde ducemus? Nam Italus nisi „h" littera litteram „c" sequatur, [petshinum] leget non [pekinum]; norma scribendi enim ad normam enuntiandi aptatur, neque scriptura datur uniformis sine uniformi enuntiatione. Sed non ad Italicum neque Germanicum aut Gallicum usum rationem enuntiandi aptabimus: est norma, quae ad omnes linguas valeat.

Iam inter omnes constat voces linguae Latinae a Romanis antiquis longe aliter enuntiatas esse quam nostris temporibus plerumque enuntiantur; omitto iam quantitatem, cetera subtiliora: iam eo mali perventum est, ut Polonus Anglum Latine loquentem non intellegat, neque Anglus Polonum. Quid Latine loqui discamus, si Poloni Gallos intellegere non possimus? Eadem nobis est omnibus lingua Latina, surdi tamen invicem sumus, idemque valet ad commentarios scriptos, ut ex disputatione, quam modo habuimus, colligi potest. Erit igitur usui uniformis enuntiandi ratio, quae erit ratio Romana antiqua. Vocales sicut in lingua Italica, Polonica, Germanica enuntiabuntur; non erit igitur Gallo „u" [ü], sed quod ipse „ou" scribit. Diphthongi ae, oe erunt [áe, óe] non ita: [e, ö]; „v" non erit [f] Germano, sed quod ipse „w" scribit; leget Italus „sce, sci" [ske, ski], non ita: [she, shi]; Germano „sch" [s-ch, s-kh], erit, non ita: [sh]. Litterae „c" nomen est ce [ke], literae „g" nomen ge (quod Italus ghe scripserit); appellabitur igitur Cicero [kikero], caelum [káelum], Poeni [póeni]; angelus tamquam Italice anghelus scriptum sit: legetur etiam [et-iam], [etsiam] nullo pacto. Unde haec omnia, quaeris? De hac re alio fortasse, sed mihi crede iam omnes viros doctos de ea re consentire (si auctoritate opus est, vide ex. gr. in. Grammaticae Latinae illius Stolz-Schmalz'ianae editione novissima a Manu Leumanno curata, 1936, pag. 51).

Haec est nobis norma enuntiandi scribendi; et Poloni Italos Latine intellegent, et verum scientiaque pulchrius colentur, et voces Latinae suavius sonabunt et scholarum discipulis iam non erit terrori scripturam Latinam discere. Mira enim est mens hominibus, qui regulas enuntiationis Latinae componunt multas, cum una regula sit: recita quod scriptum est, noli curare, quae vox sequatur, quae antecedat, haec omnia, modo valor R o m a n u s litterarum servetur. Quibus litteris tamen significabimus sonum, quem tam pulchre litteris „sc" in Sciangai illo ridiculo notatum vidimus aliosque sonos, qui in lingua antiqua R o m a n a non fuerunt neque litteras proprias habent? Licet eis litteris uti, quibus nos in hoc commentariolo ad enuntiationem notandam usi sumus, scribentes: Shanghai (vel Shanhai), Mandzhutikuo, Tshechoslovacia. De qua re fortasse plura alia opportunitate data. Quod si displicet, licet Sanghai, Mandzutikuo, Tsechoslovacia scribere, nam certe sciemus, quod nomen significetur. Si rursus parum subtile videatur: perfecta non sunt huius mundi, puto tamen subtilius, quam chaos illud intolerabile, a quo initium fecimus; nam omnia simplicius subtilius significari possunt, modo norma ratioque una sit: et haec R o m a n a antiqua.

DR. IGNATIUS WIENIEWSKI

PROSPERI NUNTII GENAVENSES

DE PHILOLOGIA CLASSICA IN SCHOLIS COLENDA CONSULTUM

Mense Iulio anni superioris, Genavae, in sede Officii Internationalis Educationis, Septimus Conventus Internationalis Institutionis Publicae habitus est. In quo civitatum quadraginta trium personae a vicariis Ministeriorum Institutionis Publicae gesta sunt. Omnia, quae hic relaturi sumus, ex „Institutione et Educatione" (Oświata i Wychowanie) periodico Ministerii nostri Institutionis Publicae (1939, fasc. 1) hausimus.

In rebus, quae in Conventu illo agebantur, linguarum classicarum in scholis colendarum quaestio a Balbino Giuliano senatore, Italiae vicario quondam Ministro Institutionis Publicae, exposita est. Egregius ille utriusque linguae fautor atque admirator, cum philologiam classicam maximi momenti in scholis mediis nuper fuisse monuisset, nunc sane videri neglectam, praecipue quod ad horarum scholasticarum linguae Latinae destinatarum numerum nec non ad linguam Graecam passim sublatam attineret, questus est.

Inter plerosque Conventus participes, qui rem disputabant ac verbis contendebant, Poloniae quoque vicarius, dr. Albinus Jakiel, de rebus nostratibus disseruit: omnibus Poloniae gymnasiis studia liberalia colentibus linguae Latinae institutionem in unaquaque classe praescriptam esse.

Congressi sententias suas de philologia classica docenda principiis fundaverunt his: iuventutem discere, primum ut animi sui moresque quam amplissime erudirentur, deinde ut diversae ingeniorum facultates aequaliter crescerent, denique ut indoles cogitandi acueretur. Ad quae omnia plurimum studia classica valere. Quin etiam opera Graecorum atque Romanorum legenda esse, ne cultus humanitatisque nescii essemus, ex quibus nostra ipsorum cultura originem traheret. Quae cum ita essent, Conventus Ministeriis Institutionis Publicae singularum civitatum haec proposuit:

a) in scholis omnium populorum, qui „culturae occidentalis" (id est Latinae) participes se dicerent, rationem cultus humanitatisque Graecae et Romanae habendam esse,

b) ut culturae antiquae indoles atque natura funditus intellegeretur, litteras Graecas ac Latinas in ipsis his linguis legendas esse,

c) quod ut perficeretur, utrique linguae classicae satis loci in institututione scholastica esse tribuendum,

d) cum omnia Graece atque Latine legi non possent, translationes quoque admitterentur, ut res antiquae plenissime cognoscerentur,

e) ratione instituendi quam minime inveterata neque obsoleta esse utendum; itaque haud alium docendi modum necessarium videri, nisi illum ipsum, qui in linguarum horum temporum institutione adhiberetur;

f) denique, salvis virorum doctorum inventis, verborum Latinorum pronuntiationem, quatenus id fieri posset, eandem in singulis gentibus hodiernis constitui utilissimum esse.

His quid addamus? Ne spes iucunda, quam in nuntiis tam prosperis ponere velimus, fallax se praestet! Utinam illa consilia egregia, quae

Conventus auctoritatibus scholasticis singularum civitatum proposuerit, quam accuratissime re conficiantur neve in chartis inania verba permaneant!

Nos autem, linguae Latinae internationalis restituendae propugnatores, libet certiores fieri congressorum decreta non solum studia classica colenda atque augenda adiuvare, sed etiam ideae nostrae favere. Nam ambo novissima consulta (ad e, f), quae supra memoravimus, eundem finem ac nos appetere videntur.Quorum effectum exspectamus.

LEO ZAWADOWSKI

STANISLAI SZOBER'I COMMEMORATIO

Magno maerore omnes philologi Poloni affecti sunt, cum didicissent d. 29 m. Augusti A. D. 1938 Stanislaum Szober'um ex hac vita discessisse, inopinate, praemature, cum summo damno philologiae. Nam Stanislaus Szober, Universitatis Pilsudskianae, quae est Varsoviae, professor linguarum Indoeuropaearum comparandarum seminariique praefectus, olim Facultatis Litterarum decanus, vir fuit doctissimus, philologus maxime, multarum linguarum peritus, de philologia Slavica optime meritus, sermonis patrii eximius amator. Sed de his eius meritis atque de ingenio eius humanissimo omni cultu imbuto deque magno amore Universitatis et iuventutis studiosae multi iam optime scripserunt; nos hic de alia re agimus, quae quodammodo in occulto mansit, nobis tamen maximi est momenti: amorem dico viri humanissimi erga linguam Latinam. Fieri non potuit, quin Stanislaus Szober, — vir scientiae linguarum peritissimus quique etiam iuvenis in linguis classicis versatus esset — maxime oppressam linguam Latinam videret; memini eum dicentem, se putare linguam Latinam alia ratione doceri debere, ut discipuli re vera linguam novisse possint, nunc nihil esse in scholis nisi per singula verba tardam claudicationem. Facillime enim professor linguarum comparandarum animadvertere potuit linguam Latinam locum, quem meruit, nusquam in Europa vel in America obtinere, iacere semivivam, cum nemo ea loqueretur, nemo scriberet, iam paene legendi obliti essent. Idem intellegebat cultum Europaeum in barbariem pristinam conversum iri, si a fontibus antiquis per litteras Latinas propagatis recessisset, iamque multum omissum esse, postquam lingua Latina ex usu quotidiano repulsa sit. Studebat igitur proposito linguae Latinae ad commercium virorum doctorum omnium gentium et ad splendorem pristinum revocandae. De qua re sanam ac rectam habuit sententiam: utrum aliquis in vecturae vaporariae statione Latine loqueretur non parvi momenti esse, si tamen homines eruditi de rebus ad cultum humanitatemque pertinentibus colloquantur Latine — magni aestimari debere. Hac de causa et Societatis nostrae amicus et fautor fuit et quantum potuit suis consiliis causam nostram adiuvit. Optandum est, ut omnes philologi, inprimis classici, tam bene temporum signa intellegant, quam is fecit, tamque honeste munus suum linguae Latinae filiorum obeant, officia sua erga eam ita intellegentes, ut eam ex oblivione soporifera ad novam vitam excitare studeant. Qui vitam in se habet, et id, quod amat, vivum esse desiderat, vivum facit. Ita is fecit; discessum eius moleste tulimus. Stanislae Szober, vere amice sermonis Latini, vale. Have anima candida.

DR. JULIUS KRZYŻANOWSKI

PHILOLOGO EIDEMQUE ESPERANTISTAE S.

Sunt, qui fictitiis tesseris quam vera pecunia ludere malint: nam et facilis usus earum, cum cuilibet rei quodlibet pretium affingere possis commodissimumque instrumentum eis, quibus Iuno Moneta non propitia fuit. Quae imago semper mihi obversatur, cum de linguis artificiosis disputatur. Non negamus eas hominibus, quorum „sacculus" cerebralis „plenus est areanarum", sua facilitate recommendari atque hac una in re nostra legitima pecunia potiores esse. Sed in antiqua, usque a Cratylo repetenda, disceptatione „physei" an „nomoi", nos cum fautoribus prioris opinionis facimus, praesertim cum illa lingua tot saecula cogitationum atque morum hominis expresserit. Quamquam Tu, docte magister philologiae idemque esperantista *), nihil iam ab ea exprimi et quendam „syncretismum" in locum „humanismi" successisse affirmas, ne idea quadam deceptus pia vota pro factis accipias, valde veremur. Omnia, quae nostris temporibus variis in civitatibus aguntur, unamquamque nationem ad sua propria principia reverti atque suam diversitatem in medium proferre docent**) Non sunt aeroplani, non sunt radiophonicae machinae, necessaria nunc utensilia vitae, futuri autem belli potentissima instrumenta, quae intimo vinculo animos hominum coniungant. Est quiddam maius: stirps atque fons, ex quo omnium nationum cultus originem suam capit. Dolendum est, quod in animo Tuo esperantista philologo praevalet et motum in castris Esperantistarum vides, in Latinitatis mundo ignoras. Comperisses fortasse multas ephemerides Latinas in diversis partibus orbis terrarum publicari, comperisses studia in hac provincia adeo iam provecta esse, ut. ex. gr. in Italia vocabularium rerum ad securitates pertinentium elaboratum sit. Quae si Tibi parva videntur, non tamen in initiis contemnenda sunt. Sin desperas de usu linguae Latinae in commercio hominum, quod nostri alumni ne unam quidem sententiam componere sciant, Tibi utpote magistro eius linguae una cum aliis pectus manu tundendum est atque dicendum: mea culpa. Linguam Latinam exercitationem atque lusum ingenii, non instrumentum loquendi putatis. Methodus docendi primum mutanda est, deinde accusationes instruendae. Non timemus, ne lingua Latina hodiernae vitae gradus aequare non possit: praesto iam sunt eius generis vocabularia (ex. gr. Luigi Cognasso: Il Latino per l'uso moderno) et „licuit semperque licebit signatum praesente nota producere nomen".

Finem huius epistulae facientes observemus esse homines, qui Esperanti adminiculo utantur, ut cum aliis nationibus „syncretizein" quam facillime possint: nos ad eum finem non tendimus neque in mari „internationalismi" dilui volumus. Vale.

Philologus idemque non Esperantista.

---

*) Prof. dr. A. Czubryński „Przegląd Klasyczny".

**) Cf. quod scribit Rossi de humanismo Italiano: (Storia Letteraria d'Italia, Vallardi, II p. 311) „espressione del disgregarsi dell' universalismo medievale, affermazione dei nuovi spiriti nazionali".

Martinus Kromer de veterum Polonorum studiis classicis aliisque

Martinus Kromer, insignis ille rerum Polonicarum scriptor, quem XVI-mo saeculo floruisse constat, opusculum quoque composuit, quem „Polonia sive de situ, populis, moribus, magistralibus et republica Regni Polonici libri XII" titulo instruxit annoque 1575 edidit. Quo ex opusculo nonnulla excerpta hausta hic sumus impressuri, cum illa in egregio libro scholastico prof. Thaddaei Sinko, secundae classi Lycei destinato („Wypisy łacińskie" fasc. II), inventa atque perlecta in „Lygia" nostra collocare haud intempestivum nobis visum sit.

Ad scholas quidem et magistros mittere mares liberos et Latinis litteris teneram aetatulam imbuere — omnibus, pauperibus iuxta ac divitibus, nobilitati ac plebi, oppidanae praesertim, studium est. Multi paedagogos domi alunt. Itaque ne in medio quidem Latio quis reperiat tam multos vulgo, cum quibus Latine tamen loqui possit. Puellae quoque nobiles et urbanae vel domi vel in monasteriis vernacula, immo et Latina lingua, legere et scribere discunt; adultiores puellae quidem rei familiari, culinariae praesertim et pecuariae, curandae, lanificioque, seu lanificio potius atque textrinae et acu pingendi arti manus admovent. Mares vero agriculturae vel opificio cuipiam vel mercaturae vel magistratuum et procerum sacerdotumve opulentiorum ministeriis et affectioni sese addicunt.

Complures libenter peregrinantur. Itaque linguas earum gentium, ad quas pervenerint, cupide et facile discunt; quin etiam in victu cultuque corporis et moribus — novi aliquid peregre affere student indeque elegantiae laudem quaerunt.

Bonarum litterarum atque doctrinae studia accuratius consectantur, imprimis ii, qui his praesidiis ex humilitate sordibusque domesticis emergere cupiunt, aut qui sua vel parentum voluntate ad sacerdotium animos adiciunt; severiores autem disciplinas ad nostra usque tempora potissimum consectati sunt Poloni. Non defuere nobis sane superioribus temporibus insignes mathematici, astrologi, dialectici et philosophi, atque etiam theologi, ii praesertim, qui vocantur scholastici, cum instituta Cracoviae ante centum septuaginta annos Academia magistri eius generis Lutetia Pragaque acciti admirationi essent vulgo et primoribus, atque ipsis etiam regibus.

Humanitatis et linguarum eruditarum studia diu neglecta iacuere, non solum apud maiores nostros, verum et alibi, fatali quadam temporum condicione... Neque sane expedita erat edendi ratio, cum careret Polonia typographis; ita doctorum virorum memoria cum ipsis pariter exstincta est. Nunc certe, posteaquam animadversum est — in pretio esse linguarum, eloquentiae humanitatisque studia, cupide ea quoque nostrates amplexi sunt, sed ad usum civilem et vulgarem magis quam ad gloriam...

RERIODICA PERLUSTRANTUR

N u m e r u m p o ë t a r u m L a t i n o r u m in Italia cotidie crescere imprimis hoc decennio Duce Mussolinio antiquis litteris favente observat Fr. Palata in commentatione Anacleto Trazzi, sacerdoti eidemque mathematico et poëtae Latino dedicata. „Si qua urbs festa saecularia obit, magistratus largis praemiis propositis efflagitant carmen Latinum ad haec sollemnia exaratum, Maecenates stipendia condunt ad certamina poëseos Latinae publice instituenda, permultae ephemerides libenter edunt Musarum Latinarum specimina a lectoribus suppeditata. „Sed editorem" qui immodicae ambitioni parvulorum lectorum morem gerens, typis mandat eorum insulsa tirocinia" vehementer castigat „Aristarchus" (ib. m. Ianuario). Nam gymnasii hodierni alumni scientia ad carmina Latina vel mediocria componenda penitus carere videntur. Locum istarum nugarum puerilium suadente auctore carmina s. XV, XVI, XVII, in bibliothecis latentia et iam ab importunis tineis adrosa occupare debent. „Vulcano dentur — concludit Aristarchus — mera tironum tirocinia in eorumque locum succedant vera poëmata post renatas litteras condita".

I n n o v i s v o c a b u l i s L a t i n i s procudendis sollertiam suam ingeniose exercent Iosephus Holzer et Hans Lis (Alma Roma m. Nov. et Societas Latina m. Oct.). Potestatem mihi faciatis aliqua specimina afferendi: larva gasaria (maska gazowa), vetantur vectores remorari in podiis currum ferriviariorum (zabrania się podróżnym przebywać na platformach wagonów kolejowych), seiunge vas, prohibe aethera (wyłącz radio), attenuatio (fading), homo ad unguem factus (gentleman), manuballista machinalis (karabin maszynowy), puls pomosa potius quam marmelada etc.

D e u n i t a t e p r o n u n t i a t i o n i s L a t i n a e obtinenda atque perpetuo servanda tractant duae epistulae ab Alfonsio Novia et Iulio Dutoit, Moderatore Societatis Latinae publicatae (Soc. Lat. m. Oct.). Cum nulla natio (ne Italice quidem) genuinam pronuntiationem tueatur, A. Novia ad classicam pronuntiationem Ciceronis aetate usitatam omnibus nationibus redeundum esse censet. Iulius Dutoit autem se aequali pronuntiatione vocalium et plerorumque consonantium contentum esse confitetur, sed dubitat an omnium consensionem de littera g et c assecuturi simus, praesertim cum nulla existat „internationalis auctoritas, quae legis instar imperare possit". (Ex epistula comperimus Germanos in scholis suis pronuntiationem Kikero et Kaisar iam relinquere et denuo Zizero et Zaesar pronuntiare incipere).

Ex commentatione Dr. G. Lurz'i q. i. De terminologia sive nomenclatura medicinae (Soc. Lat. m. Oct.) haec sententia nobis commemoratione digna videtur:: „Ad linguam Latinam propagandam opus est, ut in aliis disciplinis, ita in arte medica vocabulario Latine composito novis temporibus adaptato... Anno 1935 per Ienensem Congressum anatomicum nomenclatura anatomica omnium consensu (Iapones quoque interfuerunt) denuo sancita est in lingua Latina"

N o v u m P e r i o d i c u m.

Magno cum gaudio lectores nostros certiores facimus Institutum Studiorum Romanorum ad novos commentarios „Per lo studio o l'uso del latino" publicandos accessisse (Moderator Prof. Guido Rispoli). Quorum commentariorum pars prima commentationes ad usum linguae Latinae in mundo spectantes continebit, tertia studiis Latinis in schola quae dicitur media destinatur, secundae autem — quod nos maxime movet — titulus „Pro lingua Latina divulganda" inscribitur. In indice eorum, qui scriptis suis illos commentarios adiuvabunt, lubenter accepimus nomen Prof. Dr. Th. Zieliński, nostrae Societatis Praesidis, impressum. Sequentes nationes ad primum fasciculum scriptis suis adornandum contulisse ex argumento eius

perspicimus: Belgium, Francogalliam, Germaniam, Britanniam, Bataviam, Hispaniam, Helvetiam, Hungariam, Civ. Foed. Americae.

Quoque fere numero Iuventutis Budapestinae aliquas notitias ex Polonia invenimus: i. m. Oct. Halina Mitkówna scribit de lyceis Polonicis, ibid. casa venatoria memoratur, quam Praeses Poloniae Nicolao Horthy, Gubernatori Hungariae, dono dedit. M. Nov. Maria Król urbem Cracoviam depingit. ibid. XX anniversarium libertatis a Polonia recuperatae memoriae lectorum mandatur et Hymnus nationalis Polonorum musicis notis appositis citatur. Ultimus denique num. (m. Febr.) pergratam mentionem nostrae Lygiae facit.

Z teatru

Temperamenty Cwojdzińskiego

Trzecia próba przeniesienia na scenę zawiłej i trudnej teorii przyniosła naszemu autorowi zupełne powodzenie i wypełnia po brzegi widownię. Kretschmerowska teoria rozmaitych typów ludzkich, upstrzona greckimi terminami, jest tak dobrze zaprawiona dowcipem, że z największą łatwością przyswajamy ją sobie i winszujemy autorowi, iż tak pomysłowo połączył „przyjemne z pożytecznym". Nie małą jest także zasługą tego aktora (P. Wojtecki), który tajniki teorii z taką lekkością swym miłym głosem wykłada, że najtrudniejsze rzeczy prawie nieświadomie zapadają w dusze nasze. Zdaje się, że osoba tego wykładowcy komentującego stale akcję wywodzi się jeszcze ze sztuk Ben. Jonsona. Również owa przemiana zaniedbanego i zapuszczonego malarza przypomina przemianę, której ulegają rozmaite „humory" ludzi w komedii tego samego autora pod tytułem „Every man out of his humour" (hippokratesowe „humory" odpowiadały wówczas kretchmerowskim pyknikom, schizothymikom itd.).

Reszta aktorów świetnie dobrana pod względem swojej konstytucji cielesnej do przedstawienia rozmaitych typów psychicznych za wyjątkiem może jednej P. Borowskiej (typ atletyczny?), która jednak swoją świetną grą i gdy powtarzała co chwila swoje „coś podobnego, coś podobnego", wywoływała salwy śmiechu nie tylko na galerii.

Notitiae theatrales

De constitutionibus hominum (s. „temperamentis") auct. A. Cwojdzińskio.

Tertium periclitatus in abstrusa ac difficili doctrina scenae adaptanda auctor noster prospero successu atque frequentissima cavea denuo remuneratus est. Kretschmeri doctrina de variis generibus naturae humanae Graecis terminis inflata tam suaviter sale Attico condita est, ut eam lenissime concoquamus et auctori gratulemur, quod tam ingeniose „utile cum dulci" miscuerit. Non leve id quoque meritum eius actoris (D-us Wojtecki), qui arcana doctrinae tanta cum levitate sua voce venusta exponit, ut difficillima quaeque paene insciis animis nostris insinuentur. Persona illius expositoris res agendas continuo commentantis originem suam usque a fabulis Ben. Ionsonii trahere videtur. Illa etiam metamorphosis inculti ac squalentis pictoris non dissimilis est mutationi, quam subeunt varii „humores" hominum in eiusdem poëtae comoedia q. i. Every man out of his humour (hippocratei humores tum Kretschmerianis pycnicis, schizothymicis etc. respondebant). Reliqui actores aptissime sua statura ad varia ingenia hominum exprimenda electi, una fortasse D-a Borowska excepta, quae tamen, cum partes suas splendide ageret suumque „tale quid, tale quid" iterum atque iterum repeteret, cachinnum non solum in summo moeniano commovebat. *Dr I. K.*

INTERLINGUA

TRUNCUM OLIM VENERIS FRAUS SCULPTORIS MUTILAVIT
(EXEMPLAR SIGNI PULCHRA POLONA FUIT).
EXTEMPLO FERTUR TOTUM VAGA FAMA PER ORBEM
EFFOSSAM ANTIQUAE PARTICULAM STATUAE.
SERMO ITA VERGILII MIRABILIS OBTRUNCATUR
A FRONTE A TERGO, STULTILOQUUM AUXILIUM.
PORTENTUM INVENTUM MUSIS HOSTES VENERANTUR
ATQUE INTERLINGUAM BARBARIEM HANC VOCITANT.
TE QUOQUE (EHEU) COGENT LINGUAM FOEDARE PATERNAM,
ARBITER ADSUMPTE ARTIFICI IN SOLIO!

*

Latina sine flexione sive „interlingua" non est novum inventum: illiterati Aethiopes et Sinenses ita linguam Anglicam mutilant, ut eam suis ingeniis accomodent; pidgin english appellatur (ex. gr.: he been talk, he come house belonga father). Re vera tamen erroribus scatentia pensa plumbeorum discipulorum doctis viris callidum inventum illius portenti subiecisse videntur (ex. gr. pater ero habere villa).

DR. J. K.

De motu terrae in Republica Chilensi

(CENTONIBUS PED. EX?)

Celebres reipublicae Chilensis urbes conlapsae nocturno motu terrae, quo improvisior graviorque clades fuit. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur, non sexus, non aetas periculo vacua. Theatrum quoque hominibus frequentissimum solo tenus dirutum omnesque qui aderant, pressi et statim exanimati, cum tectum multo lapide grave proruisset. Duo soli coniuges eminentibus parietibus ac forte validioribus quam ut oneri cederent, protecti ac in ruinis adhuc spirantes inventi sunt. Ad XXX milia hominum eo tremore terrae cecidisse memorant.

* * *

Omnibus, qui in permultis periodicis nostrae Lygiae tantum favorem tantamque benevolentiam exhibuerunt, hac occasione data gratias persolvimus quam maximas imprimisque anonymo illi „Amicissimo" (in periodico q. i. Kurier Warszawski), sub quo nomine auctorem exquisitorum ac cultorum carminum latere non sine causa suspicamur.

Moderator.

OD REDAKCJI

W następnym numerze „Lygii" rozpoczynamy szereg tłumaczeń t. zw. „resumé" („summary") prac naukowych z rozmaitych dziedzin (medycyna, matematyka, historia etc.), aby wykazać, że jeden łaciński tekst powinien zastąpić w przyszłości dwa lub trzy tłumaczenia w j. współczesnych.

Dr. med. Bonawentura Kamiński, członek naszego towarzystwa, który w dwutygodniku „Medycyna", organie Tow. Lek. Warszaw., walczy od paru lat z błędami współczesnego słownictwa lekarskiego ze stanowiska j. polskiego i łacińskiego, zwraca uwagę na opracowywany przez Międzynarodowe Tow. Szpitalnictwa „Słownik szpitalny" (tysiąc słów) w j. angielskim, francuskim, niemieckim, włoskim i hiszpańskim i wzywa również Polskę do wzięcia udziału w tym dziele.

Nowi członkowie

Ks. Franciszek Barański.
Kuria Diecezjalna w Sandomierzu.
Dyr. Jan Kotzean.
Dr. Leon Pękosławski.
Prof. dr Eugeniusz Piasecki.
Ks. E. Wojtczak.
P. Marian Zagożdżon.
P. Karol Zemke.

●

Prof. J. Stanisławski przypomina czytelnikom „Lygii" istnienie w Warszawie Muzeum Numizmatycznego zawierającego ciekawe eksponaty z zakresu historii monet polskich.

„Lygia" jest organem Towarzystwa Umiędzynarodowienia Łaciny.

●

Pismo jest zasadniczo wydawnictwem kwartalnym.

●

Lokal Towarzystwa mieści się przy ul. Traugutta 3 m. 5, tel. 6-16-16 i pod tym adresem należy kierować wszystkie listy zarówno do Towarzystwa, jak też Redakcji „Lygii".

●

Prosimy naszych Członków o wpłacanie składek na konto Towarzystwa P. K. O. Nr. 26326. *Przypominamy, że składka roczna wynosi 5 zł.*

Prośba o adresy

O łaskawe podanie adresów do Sekretariatu Twa Umiędzynarodowienia Łaciny (Warszawa, Traugutta 3 m. 5) proszeni są Członkinie i Członkowie Towarzystwa:

P. Maria Artwińska.
P. Wanda Germain.
Prof. Jan Martowicz.
P. Edward Morawski.
P. Krzysztof Morawski.
P. Alfred Pawlicki.
P. Jadwiga Zyberk Platerowa.
Płk dypl. Stanisław Rostworowski.
Prof. Rudolf Szerękowski.
Prof. Wacław Wałek.
P. Stefan Wilewski.
Mec. Alfred Zaniewicz.
Ks. Józef Zientek.
P. Zygmunt Żmigrodzki.

Aedes moderatoris:
Varsoviae, ul. Traugutta 3 m. 5

Adres Redakcji:
Warszawa, ul. Traugutta 3 m. 5

Telefon 6-16-16

Za Komitet Redakcyjny· Prof. Dr Juliusz Krzyżanowski. Wydawca: Franciszek Banasiak

Skład „POLSKA ZBROJNA"
Krakowskie Przedmieście 33,

Druk „DŹWIGNIA",
Widok 24.